

DE STATU CLERICALI UT IMPEDIMENTUM MATRIMONIALE

IN PRIMAeva ECCLESIA HISPANIAE (saec. IV-VIII)

De statu clericali quatenus constituit impedimentum matrimoniale agentes in primaeva Ecclesia Hispaniae (saec IV-VIII), nobis opportunum videtur investigationem instituere tantum de prohibitione matrimonium contrahendi clericis facta ac de usu matrimonii ante ordinationem a clerico initi.

Unde patent obiectum et finis praesentis articuli. Quapropter, omnes alias quaestiones ex praescriptionibus ac dispositionibus, iis saeculis ortas, praesertim circa relationes illicitas clericorum, atque de bigamia et coniunctis cum viduis quatenus impedimenta ad ordines constituebant, praetermittimus, cum nihil conferant ad nostram dissertationem, cui tantum agere competit de iis quae sunt ad matrimonium.

Ut recte igitur methodus logica in expositione quaestionis adhibeatur, praebemus primum notionem, deinde prohibitionis ac impedimenti matrimonialis naturam una cum evolutione ipsius impedimenti.

Impedimentum ex statu clericali proveniens in Hispania, iuxta auctorum opiniones et Conciliorum dispositiones, consistit in eo quod clerici, uxorem non habentes antequam constituerentur in sacris, ex eo momento quo ordinationem recipiebant, simul matrimonium contrahere in postero abdicant: ceteri autem clerici, qui coniugati erant ante ordinationem, non tenebantur uxores repudiare, tamen ipsis iurium matrimonialium usus inhibebatur (1).

Ex primis testimoniis constat certe obligationem continentiae provenire tatum ex positiva praescriptione Ecclesiae, sicut ex ipsis dispositionibus patet, et speciatim ex decretalibus SIRICII Papae, a. 384: "Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae *insolubili lege constringimur*" (2), et LEONIS Papae (458) ad Rusticum Narbonensem: "*Lex continen-*

(1) GARCÍA TORRES, M.: *Caelibatus clericorum in Ecclesia Hispana usque ad saec. XIII* (Asturica, 1938), 7. In aliquibus regionibus extra Hispaniam, prohibitum erat contrahere matrimonium, sed non uti contractu.

(2) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium Tarraconensem Episcopum*, in P. L., 13, 1.139.

tiae aedem est..." (3). Temporibus posterioribus praesertim ex dispositionibus Conciliorum Toletanorum II (527), can. 1; IV (633), can. 27, et IX (675), can. 10 (4), praeter positivam praescriptionem Ecclesiae, etiam provenire potest ex voto vel promissione personaliter contracta de castitate servanda (5).

Licet primae dispositiones de prohibitione contrahendi matrimonium gravibus verbis statuuntur, et transgressiones gravibus poenis puniantur, videtur tamen matrimonium contrahere sub poena illicetatis tantum prohibitum fuisse. Postea autem altera medietate saec. VII agentibus praesertim Conciliis Toletanis VIII et IX, talis prohibitio, potius nullitatem quam meram prohibitionem significabat. Tamen cum canones isti non necessario de invaliditate intelligendi sint, ideo solidum ac definitivum argumentum pro nullitate matrimonii non praebent. Et sic ex dispositionibus Conciliorum Toletanorum VIII et IX, de nullitate matrimonii contra prohibitionem contracta non constare videtur (6).

Cum Ecclesia determinasset continentiam clericis imponere, exortum est sequens problema: quid faciendum cum mulieribus clericorum, si isti coniugati fuerint? Quaestio non eodem modo soluta est decursu temporis, ut ex historia patet (7); nam in primis dispositionibus non praescribitur separatio clericorum a suis mulieribus, et sic Leo in epistola ad Rusticum Narbonensem vetat clericis dimittere uxores. Tamen a Concilio Gerundensi (517), ad vitandum periculum incontinentiae, praescribitur separatio ab uxoribus; si autem separatio difficilis alicui clerico esset, tunc iste habere debet domi fratrem suum, qui det testimonium de casta vita, si necessarium fuerit (8). Huiusmodi praescriptio decursu temporis multoties repetitur fere iisdem verbis, e. g. in Conciliis Illerdensi (circa 524).

(3) LEO I, S.: *Epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum*, in P. L., 54, 1.204.

(4) *Conc. Toletanum II*, can. 1, in MANSI, I. D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio* (Florentiae-Venetis, 1759-1798), VIII, 785: "professionem castimoniae suae... sponderint servaturos... suae sponsionis immemores"; *Conc. Toletanum IV*, c. 27, in MANSI, *op. cit.*, X, 627: "professionem episcopo suo facere ut caste et pure vivant"; *Conc. Toletanum XI*, can. 10, in MANSI, *op. cit.*, XI, 143: "Promissionis suae vota sub cautione spondeant... quod singulariter pollicetur... inundatione promittat."

(5) Circa hanc quaestionem cfr. JUBANY, N.: *El voto expreso de castidad de las órdenes sagradas en la alta Edad Media*, in "Analecta Sacra Tarraconensia", 25 (1952), 24 ss.

(6) WERNZ, F. X.; VIDAL, P.; AGUIRRE, PH., S. J.: *Ius canonicum ad Codicis normam exaratum*, 5, *Ius matrimoniale* (Romae, 1946), ed. 5, 348; THOMASSINUS, L.: *Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios* (Venetis, 1730), ed. 2, 1, 393.

(7) VILLADA, Z. C., S. J. *Historia Eclesiástica de España* (Madrid, 1929-1933), 4, prim., 241: "La autoridad imperial dispuso que se las tratara con todo género de consideraciones, y la eclesiástica no se mostró menos solícita. Estas mujeres, decía Honorio en una ley del 420, que por su manera de vivir han hecho a sus maridos dignos del sacerdocio, no deben ser abandonadas, aunque no sea más que por conservar su pureza. San Paulino de Nola, entre otros muchos, dió ejemplo de la reserva que los clérigos habían de guardar con sus esposas, pues una vez ordenado sacerdote, vivió en España con su mujer Teresa, como con una hermana. El Papa León elevó esta costumbre a regla general".

(8) MANSI, *op. cit.*, VIII, 549.

can. 10 (9); Toletano II (527), can. 3 (10); Hispalensi I (590), can. 3 (11); Toletano IV (633), can. 41 (12); Bracarensi III (675), can. 5 (13).

Ex testimoniis scriptorum antiquorum, constat caelibatum iam ab antiquo a multis clericis servari (14). Sed consuetudo universalis et obligatio stricta saeculo III probari nequeunt; videtur vero consuetudinem abstinendi ab usu matrimonii, circa finem saec. III fuisse sat vulgatam, secus magna cum difficultate intelligeretur dispositio can. 33 Concilii Illiberitani (15). Praeterea fere omnes primae dispositiones tantum agunt de prohibitione usus matrimonii; iamvero si prohibent usum, clare patet talem prohibitionem etiam includere debuisse prohibitionem contrahendi matrimonium, si caelibes adhuc erant (16), ut temporibus posterioribus praescripta est.

Veritas talium assertionum potius ex immediata demonstratione historica patefiet. Tamen claritatis gratia, in tres partes dividere existimamus quaestionem. Episcopi, presbyteri ac diaconi in prima includuntur, quia dispositiones pro omnibus identicae erant; in altera subdiaconi comprehenduntur, et tertia ad reliquos clericus refertur. De diversis gradibus hierarchiae ecclesiasticae iam a tempore dominationis romanae testimonia habentur, ut explicitè in diversis documentis notatur (17).

§ I. *De episcopatu, presbyteratu et diaconatu prout constituunt impedimentum matrimoniale*

Iam a principio saec. IV, praecipitur continentia pro clericis, in Ecclesia Hispaniae, in can. 33 Concilii Illiberitani (305); his verbis lex enuntiatur: "Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminatur" (18). Canon continet praescriptiones certas et alias de quibus adhuc potest

(9) MANSI, *op. cit.*, VIII, 613.

(10) MANSI, *op. cit.*, VIII, 785.

(11) MANSI, *op. cit.*, X, 450.

(12) MANSI, *op. cit.*, X, 630.

(13) MANSI, *op. cit.*, XI, 157.

(14) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 5; VILLADA, Z. G., *op. cit.*, 1, prim., 236.

(15) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 7: "Conculta dixi "cuius notitiam habemus", nam data severitate totius synodi, ut in sanctione hoc canone statuta videatur, bene concludere possumus tam gravem obligationem, talibus annexis poenis, sponte et veluti de novo oriri non posse. Aliquid iam praeexistens procul dubio, supponit"; JUBANY, N.: *El celibato eclesiástico y el canon 10 del Concilio de Ancyra* (314), in "A. S. T." (1942), 248: "...se trata de la primera ley que se conoce relativa al celibato".

(16) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 32.

(17) TORRES, M.: *Lecciones de Historia del Derecho Español* (Salamanca, 1935), 1, 429.

(18) MANSI, *op. cit.*, II, 11: textus valde mutatus invenitur apud aliquos auctores, e. g.: MENDOZA, F. DE: *Concilium Illiberitanum adiunctis Mendozae et aliorum commentariis* (hic est

discussio moveri maiore vel minore probabilitate. Sic omnino videtur canon agere de clericis coniugatis; scil. de Episcopis, presbyteris et diaconibus, qui commercium carnale cum uxoribus suis se nolle habere declarant, saltem dum "in ministerio" positi sunt. In hac interpretatione omnes auctores concordant.

Quaestiones autem disputatae circa canonem, diversae sunt: una nitiur verbis "positis in ministerio": namque aliqui credunt clericos tantum obligari ad continentiam dum ministerio sacro funguntur, sicut sacerdotes antiquae legis, e. g. Zacharias (19); alii vero putant —et quidem optima ratione— semper ad eam clericos obligari. In hac altera interpretatione ex textu canonis lex continentiae deducitur, cum nuca distinctio inveniatur circa tempus abstinentiae et solatii, cumque clerici Novae Legis semper in ministerio occupari debeant (20).

Opportunum nobis videtur notare verbum canonis "positi" aequivalere verbo "destinatis" (21). Alia quaestio est an subdiaconi quoque comprehendantur sub lege, sed de ea in secunda paragrapho agemus.

Adest adhuc alia difficultas, quae deducitur ex consecrariis ipsius canonis, nam dicitur: "ab honore clericatus exterminatur", quod idem est ac dicere: "deponatur" vel "in statum laicalem reducatur" (22); quaeritur tunc an clerici, cum ab honore clericatus separati fuerint potuerint uti matrimonio? Ex ipso Concilio nihil deducitur, sed ex ratione saltem videtur etiam tunc usus matrimonii eis interdictum, quia tam Concilium Illiberitanum quam posteriora prohibent usum matrimonii, nec distinguunt inter clericos depositos et non depositos. Praeterea nescitur qualis fuerit stabilitas disciplinae ecclesiasticae, utrum nempe quod olim severe prohibitum sit, postea concessum (post reductionem), et casu quo clericus fuerit reintegratus, ipsam disciplinam denuo observari debuerit (23). In contrarium autem allegari posset can. 33, imponens poenam degradationis, non autem abstinentiam ab uxore: mihi autem non videtur solido fundamento niti,

titulus usitatus, sed titulus verum est *Vetustissimum et nobilissimum Concilium Illiberitanum, quarto ineunte saeculo in Hispania celebratum cum Discursibus apologeticis...* (Lugduni 1665), 312: "Placuit, in totum prohiberi Episcopis, presbyteris, diaconibus et subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis, et non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur".

(19) BALLESTEROS Y BERETTA, A.: *Historia de España* (Barcelona, 1920-1941), 1, 441.

(20) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 11; HEFELE, CH. J.-LECLERCQ, H., O. S. B.: *Histoire des Conciles* (Paris, 1907-1921), 1. prim., 239.

(21) ALBASPINAUS, G.: *Notae in Concilium Eliberitanum* (Lutetiae Parisiorum [Lugduni], 1622), 27.

(22) FERNÁNDEZ, J.: *La disciplina penitencial en la España romano-visigoda desde el punto de vista pastoral*, in "Hispania Sacra", 4 (1951), 279: "Este castigo de la deposición y relajación al estado laical era ordinario en la disciplina penitencial para los clérigos en España antes y después de esa carta de Sfricio; es el castigo impuesto por el Concilio de Elvira al clérigo que ejercitaba..., a los que no observaban la ley de continencia (can. 33)."

(23) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 18.

quia non necessarium erat explicitis verbis manifestare ut abstinerent ab uxoribus, cum ad illud iam tenerentur. Hoc idem confirmatur ex eo quod praescribitur in can. 1 Concilii Toletani II (527) ut qui post ordinationem nuptiis utuntur, tamquam rei sacrilegii damnentur et ab ecclesia ut extranei habeantur (24). Eo magis hoc applicandum est, ut videtur, illis qui in poenam depositi sunt.

Decurrente saec. IV, disciplina legis continentiae clericorum extenditur, adeo ut ad determinandos eius limites, Ecclesia Orientalis se separaverit ab Occidentali; et sic, etsi canon Concilii Illiberitani non statim ubique observatus est, tamen usum et praxim praevalentem Ecclesiae Occidentalis exprimit. Certe haec praxis iam a saec. IV Romae vigeat (25). Attamen maxime deplorandi sunt abusus existentes in Hispania; praescriptiones enim non observabantur et vitia ita introducta sunt, ut SIRICIUS Papa in sua epistola ad Hymerium Tarraconensem simul fletet vitam clericorum et dure reprehenderet tales abusus; sic namque clamabat: "Plurimos enim sacerdotes Christi atque levitas, post longa consecrationis suae tempora, tam de coniugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in Veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa... Veteris Testamenti auctoritas frustra praetenditur" (26). Ergo praxis Veteris Testamenti nihil valet, nam nunc viget alia lex; praeterea non tantum SIRICIUS Papa lamentatur de malis existentibus, sed in eodem documento paulo post renovat legem continentiae pro sacerdotibus et diaconibus: "Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae..." (27). Tamen illis clericis qui peccaverunt ex ignorantia, i. e. vel ignorando legem vel saltem non contemnendo eam, allegando auctoritatem Veteris Testamenti, Romanus Pontifex concedit exercitium ordinis, sed prohibet tamen ascendere ad superiores (28). Porro, quia magna pars vitae clericorum dependet a formatione in iuventute recepta, Pontifex normas instituit pro eligendis et educandis clericis, ita ut ad diaconatum et presbyteratum tantum admittantur qui indicia certe inde ab inferioribus ordinibus, praebeant de integritate vitae; non igitur immediate ad superiores ordines ascendere possunt, sed

(24) MANSI, *op. cit.*, VIII, 785: "Cavendum tamen est his, ne quando suae sponsionis immemores aut ad terrenas nuptias, aut furtivos concubitus ultra recurrant. Quod si forte fecerint; ut sacrilegii rei damnentur, et ab Ecclesia habeantur extranei".

(25) Ut probatur ex documentis pontificiis, e. g., S. SIRICII.

(26) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium*, in *P. L.*, 13. 1138.

(27) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium*, in *P. L.*, 13. 1139.

(28) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium*, in *P. L.*, 13. 1140.

tempore statuto, et solummodo si digni iudicentur (29). Hae dispositiones a SIRICIO Papa datae sunt pro tota paeninsula hispanica, nam in fine epistolae Pontifex praescribit ut Hymerius communicet praescripta non tantum episcopis provinciae Tarraconensis, sed etiam Baeticae, Galleciae, Lusitaniae et Carthaginensis (30). In civitate Barcinonensi, ineunte saec. V demonstratur has leges circa continentiam vigere et a fidelibus cognosci, ex eo quod S. Paulinus qui cum coniugatus esset, post ordinationem sacerdotalem promisit, sicut et eius uxor vivere in continentia, ad instar fratrum, ut canones praescribebant (31).

Usque ad Concilium Toletanum I (400) (32) relaxatio disciplinae ubique notatur, adeo ut competens auctoritas ecclesiastica non cessaverit clamare contra relaxationis fautores. Sed praedictum Concilium in can. I mitiorem poenam statuit, nam prohibuit ascendere ad gradus maiores eum qui, in ministerio positus, filios genuerat ex propria uxore; de aliis autem poenis imponendis tacet (33). Nihilominus disciplina Concilii Toletani I non prevaluit (34) et praeter dispositionem Hilarii Papae (465) ad Ascanium Tarraconensem, qui disciplinam Concilii Toletani I in variis quaestionibus non ad matrimonium pertinentibus, restringit, etiam praeclara epistola LEONIS Papae ad Rusticum Narbonensem servatur, in qua Summus Pontifex respondit ad diversa dubia proposita Rustico episcopo (35). Quoad continentiam clericorum sic ait: "Lex continentiae eadem est ministris altaris quae episcopis atque presbyteris qui cum essent laici sive lectores, licito et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum a praedictos pervernerunt gradus, coepit eis non licere quod licuit. Unde. ut de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant

(29) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymerium*, in *P. L.*, 13, 1142; circa condicionem mulieris non praescribitur separatio, et res remittitur ad disciplinam Concilii Nicaeni circa mulieres quae debent ingredi in domum clericorum.

(30) JUBANY, N.: *El voto expreso*, 23, dicit eam vigisse pro toto Occidente.

(31) AUGUSTINUS, S.: *Epistola ad Paulinum*, in *P. L.*, 33, 108; in *C. S. E. L.*, 34, 97.

(32) VILLADA, Z. G., *op. cit.*, 1, prim., 240: "Algunos años más tarde vuelven a ocuparse de esta cuestión los Obispos lusitanos en un decreto que se ha perdido, pero que consta en el can. 1 del Toledano, 1".

(33) MANSI, *op. cit.*, III, 998: "Placuit ut diacones, si vel integri, vel casti sint, et continentibus vitae, etiam si uxores habeant in ministerio constituentur: ita tamen, ut si qui etiam ante interdictum, quod per Lusitanos episcopos constitutum est incontinenter cum uxoribus suis vixerint, presbyteri honore non cumulentur. Si quis vero ex presbyteris ante interdictum filios susceperit, de presbyterio ad episcopatum non permittatur".

(34) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 25; etiam deducitur ex Innocentio I (405) scribente Eusebio Tolosano, qui dicit: "ut incontinentes in officiis talibus positi (presbyteratus et diaconatus) omni honore ecclesiastico priventur nec admittantur accedere ad ministerium" et postea renovat dispositionem Siricii, in *P. L.*, 20, 496.

(35) Cfr. MENÉNDEZ Y PELAYO, M.: *Historia de los heterodoxos españoles*, (Madrid, 1917-1932), ed. 2, 2, 263: "Lo que acontecía en la Narbonense debía de suceder, con escasa diferencia, en el resto de los dominios visigodos".

sic habere, quo si salva sit caritas connubiorum, et cesset opera nuptiarum” (36).

Ergo lex continentiae obligat episcopos, presbyteros et ministros altaris; praeterea LEO Papa vetat illos uxores dimittere. Notandum autem est Pontificem non proclamare dissolutionem matrimonii, sed e contra prohibere eius usum et poenas contra transgressores imponere; tamen hae poenae valde diversae sunt a poenis statutis a Concilio Illiberitano (37). Et non tantum Romanus Pontifex doctrinam mitiorem editam a Concilio Toletano I relinquit, sed ipsa Concilia sic procedunt, e. g. Concilium Gerundense (517), can. 6, extendit prohibitionem matrimonia utendi subdiaconos (38); Concilium Toletanum II (527) in can. 1 omne commercium carnale cum mulieribus, familiaritatemque cum ipsis prohibet; insuper idem Concilium vetat at terrenas nuptias regredi et transgressores extraneos in ecclesia proclamat, et tamquam reos sacrilegii damnat (39), et tandem requirit speciales qualitates et formalitates ad statum clericales ingrediendum. Inter *Capitula* S. MARTINI adest can. 39 in quopraescribitur ut si quis desiderat accipere ordinationem diaconatus, debeat promittere se nolle matrimonium contrahere; ita ut si in ordinatione hoc tacuerit et postea desideret matrimonium contrahere, tunc segregetur a coetu clericorum (40), insuper ut fungi ministerio iam amplius non valeat.

Siquidem quoad ad impletionem legis hucusque res erat pacifica, nam legislatio clara et satis cognita erat ac scriptores ecclesiastici ad canones conciliorum recurrerant ut suam doctrinam contra clericos transgressores confirmarent (41). Deinde paucae praescriptiones *novae* introductae sunt,

(36) LEO I, S.: *Epistola ad Rusticum*, in *P. L.*, 54, 1204; haec dispositio transit in *Decretum Gratiani*, C. X, D. XXXI, ed. Friedberg, 113.

(37) Quoad hanc diversitatem poenarum cfr. THOMASSINUS, L., *op. cit.*, I, 393.

(38) MANSI, *op. cit.*, VIII, 549: “De conversione vitae id statuere placuit a pontifice usque ad subdiaconatum post susceptum...”

(39) MANSI, *op. cit.*, VIII, 785: “Cavendum tamen est his ne quando suae sponsionis inmemores aut ad terrenas nuptias, aut furtivos concubitus ultra recurrant. Quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei damnentur, et ab Ecclesia habeantur extranei...”

(40) MARTINUS BRACARENSIS, S.: *Capitula in Opera Omnia*, ed. Barlow C. W., (New Haven, 1950), 135; canon iste provenit ex Conc. Ancyrano can. 10 (cfr. MANSI, *op. cit.*, IX, 855). Cfr. JUBANY, N.: *Et celibato eclesiástico*, 240: “La colección de cánones de Martín de Braga (c. VI), como antes lo hiciera la versión gálica, adapta la primera parte del decreto a la disciplina de Occidente; sin embargo, conserva el sentido original de la segunda parte y calla el inciso “professi continentiam”.

(41) *Conc. Toletanum* (527), can. 1: “Priscorum patrum sequentes monita...” (MANSI, *op. cit.*, X, 477); et *Conc. Toletanum IV* (633), can. 42: “...id enim et constitutio antiquorum patrum decrevit” (MANSI, *op. cit.*, X, 630). Quod leges ecclesiasticae relate ad sacerdotium observatae erant deduci potest ex testimonio LUCINIANI: *Epistola I ad Gregorium*, in *P. L.*, 72, 691: “...qui peritus esse dicatur, nemo erit utique sacerdos, si nisi peritus esse non debet. Bigamis enim aperta fronte resistimus, ne sacramentum utique corrumpatur. Quid si unius uxoris vir ante uxorem, mulierem tetigerit? ...et tamen sine mulieris tactu non fuerit? ...In utroque periculum manet; aut talis ordinatur qui non debet, aut non sit qui contra sacra mysteria celebret vel ministret”.

quia doctrina satis completa erat, et alia ex parte clerici generaliter continentiam servabant etsi lamentabiles exceptiones essent. Patres de obligatione perfectae castitatis constanter loquuntur. Contra vero affirmantes graves poenas non impositas esse, sed etiam episcopos, ut constat e. g. de Martino Eciiano qui fuit depositus; de Potamio Bracarensi et Sisberto Toletano qui in exilium missi sunt (42).

Sed interea factum historicum magni momenti evenit, scil. conversio populi visigothici; res lente progreditur, nam in principio nonnulli tantum postea autem omnes, saltem officialiter (589), conversi sunt. Procul dubio hac factum inflexum exercuit in vitam religiosam et proinde in legislationem quae eam moderabat. Clerici ex haeresi procedentes fere omnes coniugati erant, et secundum suam disciplinam poterant uti matrimonio. Cum autem in veram ecclesiam ingredi cuperent non nisi licebat matrimonium contrahere si adhuc caelibes essent, vel debeant usum relinquere si iam coniugati essent. Nova ergo lex obstaculum erat conversionibus clericorum, ita ut aliqui ad faciliorem reddendam conversionem, usum matrimonii neoconversis permittere voluerunt, tamen res definita fuit a Concilio Toletano III (589) pro tota paeninsula Hispanica ac pro Gallia Narbonensi (quae tunc temporis ad Hispaniam ditionem pertinebat) in sensu prohibitivo, ut patet ex dispositione can. 5 qui contra conversos desiderantes cum uxoribus copulari, statuit talem modum procedendi olim prohibitum esse ac proinde illicitum (43): "ut non liceat eis vivere libidiosa societate", et sic, licet vinculum coniugale obsolutum non esset, tamen sub uno conclave manere iam amplius non poterant. Ratio separationis a muliere est, quia continentia testimonia habere debet apud Deum et apud homines (44). Porro si clericus post monitionem "obscene cum uxore elegerit vivere, ut lector habeatur". Quod attinet ad mulieres quae peccaverunt, si infamem suspicionem possunt generare, praescribitur ut venundentur ab episcopo, et pretium pauperibus erogetur (45). Proinde disciplina mitior proclamata a Concilio Toletano I. (400) iam omnino absoleta apparet.

Paucos post annos in Concilio Caesaraugustano (592) can. 1 statutum est ut si presbyteri provenientes ex haeresi ariana desiderarent permanere in statu clericali, et "sanctam et puriorem fidem atque castissimam tenue-

(42) SEJOURNE, P., G. S. B.: *Saint Isidore de Seville, le dernier Père de l'Eglise, son rôle dans l'histoire du Droit canonique* (Paris, 1929), 210.

(43) MANSI, *op. cit.*, IX, 994: "Compertum est a sancto concilio, episcopos, presbyteros et diaconos venientes ex haeresi, carnali adhuc desiderio uxõribus copulari. Ne ergo de cetero fiat, hoc praecipitur, quod et prioribus canonibus terminatur, ut non liceat eis vivere libidiosa societate; sed manente inter eos fide coniugali, communem utilitatem habeant, et non sub uno conclave maneant..."

(44) SEJOURNE, P., *op. cit.*, 260.

(45) MANSI, *op. cit.*, IX, 994.

rin vitam”, possent in illo permanere, ceteri autem qui han vitam agere neglexerint, ab officio deponantur et alieni sint a clericatu; et hoc non solum de presbyteris, sed etiam de diaconibus praedicatur (46). Paulo post Concilium Toletanum (597) can. 1 iterum loquitur de obligatione continentiam servandi, et necessitatem eius urget verbis anteriorum dispositionum: “Priscorum patrum...” (47); idem praescribunt Concilium Hocense (598) (48) atque Concilium Egarense (614) (49).

Dispositiones propositae redactae et unificate sunt in Concilio Toletano IV (633) (50), quod admirabiles leges dedit pro disciplina clericorum, et praesertim circa continentiam ipsorum; sic in can. 21 praescribit ut clerici caste vivant; in can. 24 laudat et commendat communitatem vitae clericorum, quippe quae conferat ad perfectionem clericalem; in can. 42 enumerat mulieres quae possunt habitare simul cum clericis, non autem citat uxores eorum; porro Patres Capitulares conscii medium optimum ad servandam perfectam castitatem esse dignam praeparationem clericorum, praescribunt in can. 20: “ut secundum apostolicum praeceptum, probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes”. Canon autem fundamentalis est 27 in quo praescribitur professio vivendi pure et caste, emittenda a presbyteris et diaconibus quando per paroecias constituuntur; circa quod animadversio esse potest utrum agatur de vero voto an non (51).

Concilium Toletanum VIII (653) continet varias praescriptiones quae renovant plus minusve disciplinam Concilii Illiberitani; nam in can. 4 statuuntur poenae degradationis contra episcopos transgressores (52), in can. 5 contra sacerdotes et ministros; et prohibitio est gravis sicut poene impositae, nam separandi sunt a mulieribus et istae detrudendae in monasteria, sacerdotes autem si non possunt abstinere ab ipsis, pariter monasteriis claudendi sunt usque ad finem vitae (53). In can. 7 eiusdem Concilii renovatur rigor pristinae disciplinae, immo etiam aliquo modo aggravatur. Nam aliqui clerici post susceptam ordinationem consilium mutabant et ad pristinas nuptias convolabant, vel coniugium contrahebant, asserendo ordinationem suscepisse metu vel violentia coacti, ideoque ad castitatem per-

(46) MANSI, *op. cit.*, X, 471.

(47) MANSI, *op. cit.*, X, 477.

(48) MANSI, *op. cit.*, X, 481.

(49) MANSI, *op. cit.*, X, 531.

(50) MANSI, *op. cit.*, X, 612; pro momento huius Concilii cfr. SEJOURNE, P., *op. cit.*, 208; GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La formación del clero en la España visigoda*, in “Miscellanea Comillensis”, 1 (1942), 386.

(51) MANSI, *op. cit.*, X, 627: “Quando presbyteri aut diaconi per paroecias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste et pure vivant sub Dei timore; ut dum eos talis professio religat, vitae sanctae disciplinam retineant”.

(52) MANSI, *op. cit.*, X, 1.216.

(53) MANSI, *op. cit.*, X, 1.216.

fectam obligari non posse; tales excusationes licet verisimiles essent praesertim pro clericis a parentibus clericatui oblatis infantili aetate, nihilominus Patres Capitulares ex toto rejecerunt, nec unquam talibus petitionibus annuerunt (54). Hoc autem proveniebat ex eo quod semel ordinati, debebant permanere in illi ostatu cum adnexis obligationibus, quia illi Patres non attendebant ad praxim contrariam (55), et de facto can. 7 praedicti Concilii quem interpretamur talem mentalitatem indicat. Poenae agravantur postea in Concilio Toletano IX (655) can. 10, qui non tantum punit sacerdotes sed etiam filios quos in servitutem Ecclesiae reducit (56), et nulla distinctio invenitur inter eos qui nati sint ex legitimis uxoribus quam ex aliis.

Verumtamen iam exeunte aevo visigothico, Ecclesia Hispaniae perdidit illum splendorem quem antea habuit; videtur enim disciplina clericorum non fuisse omnino commendabilis, nam mores relaxabantur (57); tamen Concilia non cessarunt praescribere continentia eorum, cum gravibus poenis pro transgressoribus: e. g. Concilium Toletanum X (656) (58), Concilium Bracarense III (675) (59) ac praesertim Concilium Toletanum XI (675) can. 10 qui ad meliorem vitam ducendam praescribit ut clerici emittant promissionem castitatis antequam ordinationem recipiant, et hoc quia: "solet enim plus timere quod singulariter pollicetur, quam quod generali innexione concluditur"; propter quod unusquisque debet facere promissionem ut "iuste et pie vivere debeat, et ut in nullis operibus suis, canonicis regulis contradicat" (60). Utrum haec promissio sit verum votum an simplex promissio castitatis, non certo constat; tamen certo certius est vivum desiderium concilii ut clerici ducant vitam castam, et nullo modo contrahant matrimonium (61).

Tota disciplina temporis maiore cum amplitudine evoluta, sed minore cum claritate invenitur apud S. ISIDORUM (62). In eius operibus inveniuntur multae raescriptiones exhortationesque ad castitatem, sed fere semper modo generali atque multoties sermo est de matrimonio in relatione ad or-

(54) GONZÁLEZ, F.-TEJADA Y RAMIRO, S.: *Colección de cánones de la Iglesia española, latín, castellano*, II, 379; GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 36; THOMASSINUS L., *op. cit.*, L., 766.

(55) GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La formación*, 381.

(56) MANSI, *op. cit.*, XI, 29.

(57) HEFELE, CH. J.-LECLERCQ, H., *op. cit.*, II, sec. 1.348: "En Espagne le roi Witiza abroge la loi du célibat des clercs et son ordonnance ne parait pas provoquer grande surprise ni véritable résistance, aussi les Conciles postérieurs auront-ils à faire pour rétablir la discipline canonique dans son intégrité".

(58) MANSI, *op. cit.*, XI, 36.

(59) MANSI, *op. cit.*, XI, 157.

(60) MANSI, *op. cit.*, XI, 143.

(61) Cfr. JUBANY, N.: *El voto expreso*, 27; LÓPEZ, U., S. J.: *De castitatis voto ordinibus sacris annexo*, in "Periodica de re morali, liturgica et canonica", 23 (1934), 226.

(62) FERNÁNDEZ, J., *op. cit.*, 267.

dinem sacrum, quod, sicut diximus, non pertinet ad nostrum laborem; nihilominus, quia in Veteri Testamento sacerdotes procreabant filios, S. ISIDORUS explanare debuit cur in Novo Testamento hoc prohibebatur (63).

Et quod dicitur de S. ISIDORO, etiam applicatur ad alios scriptores, c. g. SS. BRAULIUM, ILDEFONSUM, IULIANUM, VALERIUM, et TAIONEM (64). qui tamen parum de hoc loquuntur et efer semper quatenus commendam necessitatem servandi castitatem, de matrimonio autem clericorum ordinarie tacent. Propter hoc, utilius existimavimus exponere abundantius doctrinam conciliorum, quia in iis clarius invenitur. Generales pariter sunt formulae usitatae in libris liturgicis pro ordinatione clericorum; dicitur: "...habeto pudicitiam et linguae cautelam, *castimoniam* et sobrietatem" (65), et in ordinatione presbyterorum: "Sufficiat illi...ad presbyterium castitas...ut conservans in castitate et fide" (66).

* * *

Nunc prae oculis habenda erit doctrina in hac prima paragrapho exposita; patuit namque episcopos, presbyteros ac diaconos perpetuo ad continentiam obligatori; tum matrimonii celebrationem tum usum matrimonii antea legitime contractio omnino prohibitum erat (67). Nihilominus ex dispositionibus priorum Conciliorum certe constat prohibitionem contrahendi matrimonium esse sub poena illicetatis; postea autem, etsi locutiones magis nullitatem quam simplicem prohibitionem indicare videntur, non certe constat de nullitate, quia etiam istas locutiones et poenae impositae, rationes proprias habent, licet —ut diximus— tantum de illicetate intelligantur.

§ 2. *De subdiaconatu prout constituit impedimentum matrimoniale*

Inter diversas discussiones, quas suscitavit can. 33 Concilii Illiberitani ut dictum est, haec invenitur: an prohibitio de qua agit can. 33 circa usum matrimonii clericis coniugatis, extendenda sit ad subdiaconos. Pauci autores (68) sunt pro sententia affirmativa maior autem pars eorum generatim

(63) Cfr. ISIDORUS, S.: *Sententiae*, in *P. L.*, 83, 709 ss. Opus *De conflictu vitiorum et virtutum*, quae ab aliquibus tribuitur S. Isidoro, certe certius non est authentica S. Isidori; pro hac quaestione cfr. MORIN, G., Q. S. B.: *Le conflictus d'Ambroise Aupert et ses points d'attache avec la Bavière*, in "Revue Bénédictine", 27 (1910), 204-212.

(64) E. g. TAIO: *Sententiarum*, in *P. L.*, 80, 843: "Clericus admonendus est quatenus sic vivat, ut bonum exemplum vitae suae saecularibus praebeant"; atque in *P. L.*, 80, 839: "Cum sacerdos non agit bona quae loquitur, et etiam sermo substrahitur, ne loqui audeat quod non operatur, sicut per prophetam dicitur." Circa dispositiones TAIONIS videri potest MARTIN, P.: *El pensamiento penitencial de Tajón*, in "Revista Española de Teología", VI (1946), 214 ss.

(65) LIBER ORDO MUZARABICUM, ed. FEROTIN, M., O. S. B. (Paris, 1904), 50.

(66) LIBER ORDO, *op. cit.*, 55.

(67) WERNZ, F.-VIDAL, P., *op. cit.*, 348.

(68) MENÉNDEZ PIDAL, R.: *Historia de España* (Madrid, 1935), 2, 465: "posiblemente a todos"; DOMÍNGUEZ, U., O. S. A.: *El candidato al sacerdocio en los Concilios de Toledo*, in "Ciudad de Dios", 59 (1943), 273.

negant (69), et videtur optimo iure, quia canon nihil de illis dicit, et can. 19 eiusdem Concilii quando punitionem contra clericos moechantes statuit citat episcopos, presbyteros et diaconos, non autem subdiaconos (70).

Aliqui auctores desiderantes includere subdiaconos sub prohibitione Concilii Illiberitani, mutant textum canonis 33, ac si esset: "Placuit in totum prohiberi... diaconibus et *subdiaconibus positus in ministerio*" (71). Tunc pro eis est res clara et certa subdiaconibus quoque comprehendi sub hac lege; verumtamen textus canonis Concilii, secundum meliores editiones et secundum fere omnes auctores, expresse non citat subdiaconos. Denique GONZALEZ (72) affert aliam explicationem, scil.: usque tempus Concilii tenebantur ad continentiam episcopi, presbyteri et diaconi; subdiaconi, pariter qui iam matrimonium contraexerant, tenebantur, sed sese excusabant quia per impositionem manuum ordinati non essent, et sic volebant uti matrimonio antea contracto; tunc Patres Capitulares iterum prohibuerunt in *totum*, i. e. omnes ministros ordinatos, scil. episcopos, presbyteros, diaconos et subdiaconos a coniugibus se abstinere. Ad quem existimamus respondendum esse: in primis non constat cum certitudine episcopos, presbyteros et diaconos ante Concilium Illiberitanum ad servandam perfectam castitatem obligatos fuisse, sicut patet ex historia; praeterea excusatio de impositione manuum pro subdiaconis referri non potest ad Concilium Illiberitanum, quod de ritu ordinationis nihil dicit, sed ad VIII Concilium Toletanum (653), sicut postea melius apparebit; denique pro GONZALEZ iste canon expresse citaret subdiaconos, quod falsum est. Ideo rationes adductae a GONZALEZ nullius momenti sunt.

Porro in epistola SIRICII Papae ad Humerium Tarraconensem subdiaconi non coguntur ad caelibatum, quia expresse dicit Pontifex: "Quorum sanctionum omnes *sacerdotes*, atque *levitae* indolubili lege constringimur"; et paulo post adiungit: "... quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, acolytus et subdiaconus esse debe-

(69) KURTSCHIED, B., O. F. M.: *Historia Iuris Canonici. Historia institutorum ab Ecclesiae fundatione usque ad Gratianum* (Romae, 1951), ed. 2, 75, et citat VACANDARD: *Etudes de critique*, 41 (1905), 101, nota 6; GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 11; BERLANGA DE M., R.: *Illyberis*, in *Homenaje a Menéndez y Pelayo* (Madrid, 1899), 2, 729; HEFELE, CH. J.-LECLERCQ, H., *op. cit.*, II, sec. 1.344: "Jusqu'au V siècle, les sous-diacres n'y sont pas astreints. Le texte du canon 33 du Concile d'Elvire ne paraît pas leur être applicable". GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La penitencia en la primitiva Iglesia Española* (Salamanca, 1950), 57; INSADOWSKI, H.: *Quid momenti habuerit christianismus ad ius romanum matrimoniale evolvendum*, in "Acta Congressus Iuridici Internationalis" (Romae, 1935), II, 64.

(70) MANSI, *op. cit.*, II, 9: "Episcopi, presbyteri et diacones, si in ministerio positi detecti fuerint, quod sint moechati, placuit propter scandalum et propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere". Hic intelligitur "moechati" non tantum pro adulterio sed pro omne fornicatione (HEFELE, CH. J.-LECLERCQ, H., *op. cit.*, I, prim., 232).

(71) MENDOZA, F. DE, *op. cit.*, 312.

(72) GONZÁLEZ, apud MENDOZA, F. DE, *op. cit.*, 320.

bit" (73). Sicut patet, subdiaconi non subsunt legi, et Pontifex tantum praescribit continentiam clericis qui desiderant ascendere ad diaconatum. Praeterea videtur prohibere subdiaconos contrahere secundas nuptias, vel ducere uxorem. Similiter statuitur in Concilio Toletano I (400), quod expresse prohibet subdiaconos contrahere novum matrimonium defuncta uxore; quod indicat subdiaconis licere sicut ceteris clericis inferioribus, usum matrimonii et etiam unum tantum contrahere, vel saltem hoc a Concilio prohibitum non est (74). Dispositio ista aliquantulum mutata, invenitur inter Capitula S. MARTINI, can. 44 (75).

LEO Papa in Epistola ad Rusticum Narbonensem disposuit: "Lex continentiae eadem est *ministris altaris* quae episcopis atque presbyteris, qui cum essent laici sive lectores, licito et uxorem ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad praedictos pervenerunt gradus, coepit eis non licere quod licuit" (76); ibi Pontifex supponit lectores non teneri ad legem continentiae, ad quam e contra tenentur episcopi, presbyteri ac *ministri altaris*. Difficultas stat in dignoscendo sensu verbi "ministris"; nam etsi in se et generatim sub hoc vocabulo comprehendantur tantum diaconi, in praedicta epistola potius indicantur diaconi et subdiaconi, et ratio est quia ipse LEO Papa alibi (77) a subdiaconis observantiam legis continentiae exigit, ideoque in epistola ad Rusticum Narbonensem adhibuit verbum "ministris", quod in se proprium diaconorum est, ad designandum quod illi qui muneri et oneris diaconorum participes essent, forent et castitatis (78). Tamen ratio apodictica non adest, ac proinde habet sensum epistola LEONIS etiamsi tantum ad diaconos et presbyteros extendatur (79). De facto epistola LEONIS in praxi a subdiaconis non observata esse videtur.

Prima lex quae certe tenet obligationem continentiae pro subdiaconis est can. 6 Concilii Gerundensis (517): "... id statuere placuit a pontifice usque ad subdiaconum, post suscepti honoris officium, si qui ex coniunctis fuerint ordinati, ut sine coniuge habitent; quod si habitare noluerint, alterius fratris utatur auxilio, cuius testimonio vita eius debeat clarior apparere" (80). Vigore huius canonis, subdiaconus tenetur certe abstinere a

(73) SIRICIUS, S.: *Epistola ad Hymertum*, in *P. L.*, 13, 1139 et 1142.

(74) MANSI, *op. cit.*, III, 999: "Subdiaconi autem, defuncta uxore si aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur, et habeatur inter ostiarios, vel inter lectores; ita ut evangelium..." (can. 4).

(75) MARTINUS BRACARENENSIS, S.: *Capitula*, in *op. cit.*, 135.

(76) LEO I, S.: *Epistola ad Rusticum*, in *P. L.*, 54, 1204.

(77) LEO I, S.: *Epistola ad Anastasium Thessalonicensem*, in *P. L.*, 54, 672: "... nec subdiaconis quidem connubis carnale conceditur: ut et qui habent, sint tanquam non habentes (1 Cor., VII, 29), et qui non habent permaneant singulares".

(78) THOMASSINUS, L., *op. cit.*, 1, 393.

(79) JUBANY, N.: *El voto expreso*, 11.

(80) MANSI, *op. cit.*, VIII, 549.

coniuge, et praeterea prohibetur contrahere novum coniugium. Hoc bene intelligitur valere pro Tarraconensi provincia, nam haec recepit epistolam SIRICII et finitima erat Narbonensi provinciae ubi recepta erat illa constitutio LEONIS Papae.

Concilium Toletanum II (527) can. 1 loquitur de pueris ingressis in statum clericalem, et praescribit eos 18 annos interrogandos esse, et si vulerint permanere in stato clericali et *perpetuam continentiam* "absque coniugali necessitate se sponderint servaturos", isti post biennium probationis ordinari posse in subdiaconos (81). Tamen illi qui interrogati, eligunt matrimonium, possunt illud contrahere, sed non possunt ordinari. Proinde concilium praescribit illos qui desiderant recipere subdiaconatum, professionem facere de castitate in perpetuum servanda, nam sic ait praedictus canon: "Cavendum tamen est his, ne quando suae sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias aut furtivos concubitus ultra recurrant..." (82).

Pariter urgent obligationem continentiae pro subdiaconis Concilium Hoscense (598) (83) et Concilium Egarense (614) (84). Ergo videtur iam tunc principium obligationis caelibatus fuisse clare stabilitum. Tamen haec praxis difficultatibus non carebat, earumque magna pars proveniebant ex ipso ritu ordinationis, sicut eruitur ex Concilio Toletano VIII (653), quod solvit quaestionem modo definitivo. Aliqui namque docebant subdiaconos esse computandos inter clericos minores, quia nec benedictionem nec impositionem manuum recipiebant, eosque igitur neque obligandos esse ad caelibatum, et "sicut clericos minores, contracto matrimonio uti et novum iniri non prohiberi" (85). Praeterea in favorem suae sententiae adducebant silentium Conciliorum Toletani III (589) can. 5 Caesaraugustani II (592) can. 1 et Toletani (597) can. 1, quae tantum citant episcopos, presbyteros et diaconos, sicut etiam Concilium Toletanum IV (633), quod expresse non loquitur de continentia subdiaconorum. Nihilominus, contra tales, Concilium Toletanum VIII (653) in can. 6 firmiter statuit: "Nam relatum est nobis quosdam subdiaconos, postquam ad sacri huius pervenerint gradum... quod dictu quoque nefas est, novis uxoribus copulari; afferentes hoc sibi

(81) MANSI, *op. cit.*, VIII, 785; GONZÁLEZ RIVAS, S.: *La formación*, 380: "El Concilio II de Toledo supone que no sólo los que aspiraban espontáneamente a la vida eclesiástica, sino aun aquellos que habían sido destinados al clericalo por sus padres, al llegar este momento, gozaban de plena libertad para ratificarse en su vocación, o para anular la consagración hecha por sus padres o tutores. Más adelante, en los Concilios IV y VI de Toledo (633 y 639), siguiendo una concepción jurídica romana que concedía a los padres respecto de sus hijos derecho de vida y muerte, fué acogida aquella mitigación, y se consideró como apóstatas a todos los desertores".

(82) MANSI, *op. cit.*, VIII, 785.

(83) MANSI, *op. cit.*, X, 481.

(84) MANSI, *op. cit.*, X, 531.

(85) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 34; JUBANY, N.: *El voto expreso*, 32; THOMASSINUS, L., *op. cit.*, 1, 399.

licere, quia benedictionem a pontifice se descipiunt percepisse. Proinde omni excusationum discisso velamine, id praecipimus observari, ut cum iidem subdiaconi ordinantur, cum vasis ministerii benedictio eis ab episcopo detur" (86). Ex his ergo clare constat subdiaconos non posse novum matrimonium contrahere nec uti contracto, quamvis aliqua Concilia non citent eos inter obligatos ad continentiam. Argumentum enim silentii nihil valet, si alia ex parte adsunt testimonia quae veram doctrinam fideliter tradunt (87). Porro Concilium praescribit ut detur eis benedictio, ad removendam omnem excusationem et omne dubium, et postea adiungit poenas contra transgressores.

Similiter Concilium Toletanum IX (655) urget obligationem cum gravissimis poenis non tantum pro culpabilibus, sed etiam profiliis, qui reducendi sunt in servitutem, sicut diximus in prima paragrapho. In can. 10 aequiparantur subdiaconi aliis clericis superioribus: "Ideoque quilibet ab episcopo, usque ad subdiaconum deinceps..." (88). In posterioribus Conciliis nihil in concreto de hoc invenitur, nec necessarium erat quod concilia nova decreta darent, nam disciplina iam definita est in Conciliis Toletanis VIII et IX. Denique praescriptio promissionis sese continendi antequam reciperetur ordo sacer, data in Concilio Toletano XI (675) can. 10 (89) vigeat etiam pro subdiaconis. Sic potest dici sortem subdiaconorum saec VII esse ac illorum qui in ordinibus maioribus constituti essent, scil. presbyterorum et diaconorum. Etiam legislatio civilis consona erat legislationi ecclesiasticae, nam Rex RECESSVINDUS (633-672) disposuit subdiaconos ad continentiam teneri (90).

Ipsi scriptores supponunt praescriptionem vitae castae pro subdiaconis; sic e. g. S. ISIDORUS: "Subdiaconi... quoque offerunt. De quibus quidem placuit patribus ut quia sacra mysteria contractant, casti et continentes ab uxoribus sint" (91); reliqui scriptores, e. g. S. BRAULIUS, TAIIO, sicut in prima paragrapho diximus, parum de hoc loquuntur et fere semper modo generali; attamen in suis scriptis magis stant pro continentia subdiaconorum quam contra. In formula tandem benedictionis super subdiaconum in ordinatione eius supponitur obligatio continentiae (92).

* * *

(86) MANSI, *op. cit.*, X, 1.217.

(87) GARCÍA TORRES, M., *op. cit.*, 35; GONZÁLEZ, F.-TEJADA, R., *op. cit.*, II, 377.

(88) MANSI, *op. cit.*, XI, 29.

(89) MANSI, *op. cit.*, XI, 143.

(90) RECESSVINDUS, in IV, 3, 4, 18 ed. ZEUMER, 158.

(91) ISIDORUS, S.: *De ecclesiasticis officiis*, in P. L., 83, 790.

(92) LIBER CRDO, *op. cit.*, 47.

Concludendo, ex dictis affirmari potest subdiaconos immunes non esse a lege continentiae, etsi aliqua Concilia mentionem non faciunt de iis, quia habentur praeclara testimonia quae disciplinam indubitanter clare indicant. Terminus *a quo* incipit obligationem illam pro subdiaconis, adhuc non est certe definitus, sed procul dubio inveniri potest, nam habentur testimonia, ab ieunter saec. VI. De valores matrimonii contra leges statutas contracti, conferantur dicta in paragrapho praecedente, nihil enim existimamus adiungere nisi ut breviter dicamus in principio fuisse simplex impedimentum impediens, et proinde prohibitionem sub poena illicetatis fuisse, postea vero ex dispositionibus Conciliorum Toletanorum VIII et IX, magis de eius valore dubitari posse, tamen *certe* non constare de nullitate matrimonii contra praescriptum contracti.

§ 3. *De clericis inferioribus quoad matrimonium*

Non desunt auctores qui volunt extendere obligationem praescriptionis can. 33 Concilii Illiberitani ad omnes clericos etiam inferiores (93). Id tamen nec ex textu nec ex Concilio deduci potest; nam si subdiaconi praescriptione Concilii Illiberitani non tenebantur, a fortiori nec alii quidem clerici inferiores adstringebantur.

In epistola SIRICII Papae ad Hymerium, praescribitur clericum non posse contrahere cum vidua, nec ad secundas nuptias transire; quodsi id egerit "omni ecclesiasticae dignitatis privilegio mox nudetur" (94). Et quia paulo antea Pontifex loquitur de acolytis et subdiaconis, eos considerans clericos, et dicit "quisque clericus", videntur ad hanc prohibitionem teneri etiam clerici inferiores. Postea in can. 3 Concilii Toletani I praescribitur ut si *lector* acceperit viduam alterius, debeat permanere in lectoratu, vel ad summum ascendere potest ad subdiaconatum (95); ut patet disciplina est mitior quam SIRICII Papae. Dispositio Concilii Toletani I pariter inter canones S. MARTINI, can. 43 invenitur (96). Gravior praescriptio data est a Concilio Tarraconensi (516) can. 9, qui prohibuit lectores ostiariosque matrimonium cum mulieribus adulteris contrahere, et si contraxerint, separandos esse vel a clero extraneos habendos (97). Ex dictis patet clericos inferiores non posse contrahere cum viduis nec ad secundas nuptias transire, tamen non prohibentur contrahere cum virginibus; immo LEO Papa in sua

(93) TORRES, M.: *Lecciones*, I, 431; DOMÍNGUEZ, U., *op. cit.*, 269.

(94) SIRICIUS, S., *Epistola ad Hymerium*, in *P. L.*, 43, 1.144.

(95) MANSI, *op. cit.*, III, 999.

(96) MARTINUS BRACARENSIS, S., *Capitula*, in *op. cit.*, 135.

(97) MARTINUS BRACARENSIS, S., *Capitula*, in *op. cit.*, 135.

epistola ad Rusticum Narbonensem expresse dicit licere lectoribus (clericis inferioribus) "uxores ducere et filios procreare" (98).

Concilium Toletanum II (527) can. 1, quando loquitur de promissione castimoniae facienda ab ordinandis, supponit iam ante professionem clericos esse minores, quid expresse dicit primum ordinem recipiendum post professionem esse subdiaconatum; ideo promissio castimoniae pro clericis inferioribus non valeret et ad eam servandam non tenerentur (99). Concilium Toletanum IV (633) can. 44 renovat praescriptionem, iuxta quam clerici inferiores non possunt contrahere cum vidua vel repudiata, sed ponitur condicio: "Clerici, qui sine consultu episcopi sui, aut viduam vel repudiatam, vel meretricem in coniugio acceperint, separari eos a proprio episcopo oportebit" (100). Canon tantum loquitur de clericis; evidenter igitur neque ad presbyteros neque ad diaconos refertur, nam de iis locutus est antea, atque isti nec cum consensu nec sine consensu episcopi, nec cum virginibus nec cum viduis poterant contrahere. Nec pariter videtur referri ad subdiaconos, qui tunc iam tenebantur ad continentiam. Proinde refertur ad *clericos minores*, qui poterant quidem matrimonium contrahere, non autem cum viduis, nec cum aliis mulieribus in canone indicatis. Itaque Concilium Toletanum in hoc canone renovat antiquam disciplinam. Sic exposita interpretatio congruere videtur cum textu et mente Concilii, eidemque suffragantur FLOREZ (101) et HEFELE (102).

In Concilio Toletano VI (636) can. 6, praescriptum est, ut si vir addictus fuerit servitio chori, etsi oblatus a parentibus, non posset regredi et transire ad novum statum, et si fecerit "ad propositum, invitus reverti cogatur" (103). Quae praescriptio postea renovata est in Conciliis Toletanis VIII (653) can. 7 (104), ac X (656) can. 6 (105), sed iam aliquatenus mitigata. Hic tamen non agitur de obligatione continentiae, sed est simplex prohibitio relinquendi proprium statum. Porro in formula benedictionis super parvulum qui in Ecclesia ad ministerium Dei destinetur, non dicitur

* * *

(99) MANSI, *op. cit.*, VIII, 785.

(98) LEO I, S., *Epistola ad Rusticum*, in P. L., 54, 1.204.

(100) MANSI, *op. cit.*, X, 630.

(101) FLÓREZ, H., O. S. A.: *España Sagrada* (Madrid, 1747 sq.), 5, 163.

(102) HEFELE, CH. J.-LECLERCQ, H., *op. cit.*, III, prim., 272.

(103) MANSI, *op. cit.*, X, 665; illa libertas concessa a Concilio Toletano II, can. 1, desiderantibus eligere vel clericatum vel conjugium, hic plene sublata est.

(104) MANSI, *op. cit.*, X, 1.217.

(105) MANSI, *op. cit.*, XI, 36.

candidatos teneri ad perfectam castitatem servandam (106). Praeterea in ipso Concilio Toletano VIII clare dicitur subdiaconos teneri ad continentiam; sed nihil asseritur de clericis inferioribus. In Concilio Toletano IX (655) can. 10, tandem praescribitur: "Ideoque quilibet ab episcopo, usque ad subdiaconum deinceps..." (107) Unde clerici minores semper exclusi sunt ad obligatione continentiae.

Ergo breviter dicamus clericos minores per se non fuisse obligatos ad continentiam ideoque eos contrahere potuisse matrimonium et uti contracto, sed prohibitos fuisse contrahere cum vidua vel repudiata, sicut notavimus, id tamen sub poena illicetatis tantum.

FR. JUAN FOLGUERA, O. F. M.

(106) LIBER ORDO, *op. cit.*, 40. Nihilominus in ordinationis formula, supponitur vel desideratur castitas: "ut proficiat a te, Christe... et castitate" (LIBER ORDO, *op. cit.*, 42).

(107) MANSI, *op. cit.*, XI, 29.